

ducti, fore, ut ratio aliqua ad furentis populi impetus nisi coercendos, saltem sedandos inveniretur. Rex cum matre, fratribus, ac regii sanguinis sobole die præfinita, in magno religiosorum cœnaculo adest; Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi complures cum absentium, ac regni conventuum procuratoribus interfunt. Qui novam religionem profitebantur, introducti titubanter sua sensa, immo potius portenta proferrunt. Turnonius, magni animi vir, ac Lotharingus Cardinales intolerandam eorum audaciam graviter exaggerant: indignos esse, qui in Christianissimi Regis conspectum prodeant, quorum impudentia dicta tot piorum, ac doctorum auribus excipiantur: Regem ad catholicam religionem tuendam, atque ut in ea, quam priores sanctissimi Principes vel sanguinis profusione tutati fuerant, sententia persisteret, hortantur. Pluribus hinc atque inde disceptatis, cum religionis fundamenta novatores everterent, nulla re confecta, discessum est. Atque ex iis, quæ ad morbi vim, vel convellendam, vel sistendam, plerique adhibenda curaverant, pabulum, atque alimenta addita sunt; instillatis simplicium mentibus pestiferæ sectæ feminibus; atque sacrosanctis mysteriis per indocti vulgi ora dissipatis: tantum sese plebis libidine efferente, ut a novæ sectæ hominibus ecclesiæ occuparentur, sacræ imagines passim prosternerentur, aræ disjicerentur, divina mysteria proculcarentur; ut jam consiliis ex hominum ratione depromptis nullus locus relictus esse videretur; atque paullatim ad arma res recideret, intestina, civiliaque bella exurgerent, quibus potentissimi, atque amplissimi regni arma olim exteris Principibus formidanda in se ipsa converterentur, communemque parentem, atque altricem miserrime discerperent; haud absimili aliarum dissensionum civilium exemplo, quarum initia exilia primum, atque, ut plerumque fit, neglecta, paullatim serpendo, atque consiliorum conatus illudendo, in excidium regna, respublicasque trahendo, ingentes clades, ac ruinas edidere.

Neque, ut ego quidem reor, ab instituto alienum est, tantarum rerum ortus, ac progressus intueri, ut inde quæ vitari, quæ amplecti debeant, ii, qui regendis imperiis præsunt, cognoscere queant. Ac sane nulla domestica magis, ac
favior